



H  
F

P O

S

O



12955. I. N. D.

10.

DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
HIS, QVAE CIRCA  
PRAESCRIPTIONEM  
MORATORIAM FALSO  
TRADVNTVR,

QVAM  
PRAESIDE

IO. HENRICO BERGERO,

POTENTISS. POLON. REGIS IN SVMMO APPELL. SENATV  
ELECT. SAX. CONSILIARIO, ORDINISQVE IVRIDICI  
VITEMBERGENSIS PRAESIDE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI  
HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

AD DIEM DEC. MDCCXI.

PVBLICE DISCVTIENDAM PROPONET  
AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLOB POHLE,  
GROED. LVSAT.

---


VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



05 H 792



I.



Vm Creditores plerumque rigidos se debitoribus suis praeberere solent, inde non pauca iuris beneficia prodita sunt, quibus hi vim illorum sustinere ac contra eorum rigorem sese tueri possint. Sic enim cum regulariter reus condemnatus solidum praestare teneatur. *L. 13. pr. ff. fam. herc. Donell. Comment. Iur. Civ. L. 27. ad L. 16. ff. de re iudic.* nonnullis personis ex peculiari favore beneficium competentiae indultum est, ut non teneantur ulterius, quam quatenus facere possunt. *vid. L. 17. seqq. ff. de re iudic. L. 173. ff. de R. I.* Eodem numero et cessio bonorum est, quamvis illud non immerito flexible beneficium audiat et miserabile. *vid. L. 7. C. qui bon. ced. poss. L. ult. pr. C. eod.* Sed et condemnati actione personali non statim altero die excuti possunt, verum quadrimestre spatium habent, intra quod media solvendi conquirere, et creditori-

bus suis commode satisfacere possint. *L. 2. L. ult. C. de usur. rei. iudic.* In cuius termini locum apud Saxones spatium Saxonicum successit, *Land-R. L. I. art. 20. iunct. ibi. gl. n. 9. et L. 2. Land-R. art. 24. in pr. Weichbild. art. 27. et 64.* Atenimvero de his similibusque in eundem censum referendis beneficiis in praesenti agere animus haud est; de sola Praescriptione Moratoria, quae non postremum inter illa locum occupat, agere, eiusdemque rationem penitius rimari, ac sigillatim de illis, quae a Dd. falso ac citra rationem hic traduntur, dispicere, nunc quidem constitui.

## II.

Nec vero circa explicationem verborum diu haerere libet, nisi quod homonymia seu diversa significatio vocabuli *Praescriptionis* evolvenda videatur. Sumitur autem hac vox inprimis duplici sensu, 1) pro modo acquirendi; qua ratione praescriptio longi temporis ab usucapione iure novo nihil differre dicitur, cum olim nonnisi exceptionem tribueret, ipsum vero dominium nonnisi usucapione acquiri posset. *vid. L. un. C. de usucap. transform.* 2) pro exceptione, sc. iuris seu actionis, cum reus non quidem actionem summo iure actori competere negat, sed illam adversus se iniquam esse dicit, eademque alias depulsionis nomine venit *pr. I. de Except.*

*cept. Vinnius ad rubr. l. eod.* Et in hoc significatu  
nempe pro exceptione iuris, sumitur in *L. 9. ff. de  
Transact. L. 23. ff. de Except. praescript. et praeiu-  
dic. L. pen. et ult. C. eod.* vid. *Vulpei. 2. c. 7. n. 26.* ad-  
de *L. 91. in fin. ff. d. Solut. L. 11. ff. de Except.*

## III.

Describitur *Præscriptio Moratoria*, quod sit ex-  
ceptio, qua debitor post impetratam a principe di-  
lationem contra creditorem se tuetur. Cum vero  
exceptiones praeter alias divisiones vel dilatoriae seu  
temporales sint. *L. 2. §. ult. ff. de except. §. 10. l. eod.*  
vel peremptoriae, quae actionem in totum extin-  
guunt, §. 9. *l. eod. L. 3. ff. eod. L. 2. C. de prec. Imp.  
offer. L. 112. ff. de R. I.* liquet, ad priorem classem hanc  
exceptionem referendam esse. Neque enim debitor  
rescriptum moratorium adeptus perpetuo contra  
creditoris petitionem securus est, sed tantum ad  
tempus rescripto definitum, quo elapso omnis vis  
illius perit, et actio contra ipsum cum effectu in iu-  
dicium deduci potest.

## IV.

Sedes tam insignis beneficii, quo debitores iu-  
vari possunt, collocanda est in *L. 2. et 4. C. de prec.  
Imp. offer.* Prioris Legis verba huc recitalle non  
piget: *Quoties rescripto nostro moratoria prae-*

6 DE HIS, QVAE CIRCA PRAESCRIPTIONEM

*scriptio permittitur, aditus supplicanti pandatur, quod autem totius negotii conditionem tollit, et vires principalis negotii exhaurit, sine gravi partis alterius dispendio convelli non potest, nec praescriptionis igitur peremptoriae relaxatio petatur.*

V.

↪ Aequitatem rei, si ex naturali ratione repetenda veniat, facillime perspicere licet. Quamvis enim cuivis id, quod ipsi debetur, et eo quidem, quo contrahentibus placuit, tempore praestari oporteat, multae tamen rationes saepenumero occurrere possunt, quae syadeant, debitori succurri, eundemque contra immitem et vehementem creditorem tantisper securum reddi, ut, quaesitis tantillo tempore solvendi mediis, minori suo incommodo solutione defungi possit; praesertim cum debitores haud raro praeter omnem suam culpam non solvendo fiant, atque ad incitas redacti commiserationem potius, quam rigorem, mereantur.

VI.

Nec vero nobis vel *Cuiacius L. 2. Obs. 10.* vel qui eius vestigia haud obscure premere videtur, *Anton. Faber. in Error. pragmat. Decad. 25. Error. 3. n. 4. et 7.* moram iniicit, quando laudatam *L. 2. C. ad hoc iuris argumentum referri posse, negat, eique legi alie-*



alienam prorsus sententiam affingit. Plana enim Imperatoris mens est. Nempe obtulerat quis Principi supplicem libellum, et in eo, ut propter bellicas clades sibi rescriptum daretur, petierat, ne quicquam ab ipso exigi posset, vel ut creditores parte debiti contenti esse deberent, vel saltem, ne intra certum tempus molestiam ipsi facessere possent; respondet Princeps, ultimo se petito gratificaturum, prioribus vero tanquam ab aequitate et iustitia alienis se haudquaquam subscripturum esse. Non enim in cuiusquam iniuriam beneficia tribui oportet, ut dicitur *in L. 4. C. de emancip. liber.* Quod vero aliqui beneficium *in cit. L. 2.* comprehensum, vel ad inducias a creditoribus concessas, vid. *L. ult. C. qui bon. ced. poss.* vel ad eas dilationes, quae iudicatis dantur *per L. 2. C. de usur. rei. iudic.* referunt, eius interpretationis nec ullum vestigium in citatis textibus ostendi, nec aliunde idoneum fundamentum afferri potest.

## VII.

Concedere praescriptionem moratoriam eius est, qui Summa Potestate gaudet. Neque enim Magistratus invitum creditorem adigere potest, ut moras debitori concedat, neque eo, quod in obligatione continetur, tempore, solutionem urgeat. In Imperio nostro inducias generales indulgendi ius penes Imperatorem est, atque ad eius Reservata vulgo  
re-

refertur, *vid. Reform. Pol. Augusti. de anno 1548. tit. Von verdorbenen Kauffleuten / §. und nachdem & Francofurt. de 1577. §. Wann auch solche 2c. 2c. ibi: So meynen wir hiermit ernstlich und wollen / daß Ihnen solche Moratoria und Qvinqvennel hinführo nicht mehr gegeben werden sollen; Wir oder unsere Nachkommen Römischer Kaysers oder König 2c. Cum vero Principes Imperii iure Suprematus, quod Maiestatis instar habet, eiusque anologum esse dicitur, in territoriis suis gaudeant, dubitandum non est, ipsos illud ius intra territoriorum suorum ambitum libere exercere, ac debitores in illis constitutos, data dilatione, tutos praestare posse. *Heig. P. 2. Quaest. 2. Steph. de Iurisd. P. 1. Cap. 2. n. 389. Myler. d. Stat. Imp. cap. 55. n. 1. Quodsi Interregni tempora incidant, qualia nuper admodum vidimus, et ne nunc quidem, ratione administrationis habita, penitus desierunt, facultas haec generales per Imperium inducias concedendi ad Serenissimorum Vicariorum potestatem pertinere intelligitur, quippe qui iisdem per omnia cum Imperatore iuribus gaudent, nisi quod pauca quaedam publica, eademque fundamentali Lege Imperii excepta sint. *vid. A. B. cap. 5. et ibid. Buxtorff. Concl. 73. add. Anton. Fabr. in Cod. Lib. I. tit. 9. def. 17.***

## VIII.

Equidem in alia omnia abit *Cuchus tract. d. morat. Praescript. n. 36.* qui non tantum Principi, sed et cuius magistratui fas esse putat, hoc induciarum privilegio debitores munire, sed nullo probabili fundamento singularem hanc opinionem firmat. Nam quod *ex L. 45. §. 10. ff. d. jur. fisc.* desumitur argumentum, prorsus inane et ieiunum est. Facile enim legem istam intuentibus liquet, non ibi sermonem de exceptione moratoria a Iudice concedenda esse, sed loqui textum de debitore, qui soluere paratus diem certum a iudice sibi praefigi, et modicum intervallum concedi petit. Nec tamen cum *Trentacinq. variar. resol. lib. 3. resol. 1.* diffitemur, quid dilatio, quae ex capite iustitiae conceditur, ad iudicis officium pertineat, atque adeo, nullo licet principis rescripto interueniente, quoties res et aequitas postulat, indulgeri possit et debeat.

## IX.

Sed nec illi audiendi sunt, qui, cum de Rescriptis moratoriis a Principibus ac Statibus Imperii impetratis sermo est, distinguunt, an debitor in alicuius Principis territorio non solum cum suis civibus et conterraneis, sed et cum exteris et principi illi non subiectis contraxerit, quo casu rescriptum speciale haudquaquam prodesse volunt, propterea quod extraneis illis Princeps certae ditionis et terri-

B

torii

torii suis induciis praeiudicare non possit, ut illis stare oporteat, cum in illos nullum habeat imperium, *L. ult. ff. d. iurisd.* an vero lis tantum cum concivibus debitori intercedat? eoque casu rescripto vi superioritatis territorialis locum faciunt. Rectius puto distingui, an huius generis debitor eo tempore, quo Praescriptione moratoria se tuetur, extra territorium Principis et Status, a quo dilationis beneficio auctus est, constitutus sit, nec ne. Priori enim casu frustra ad privilegium provocat, quod ultra concedentis territorium valere nequit; sed posteriori casu, si debitor ab extero creditore in territorio eius, cui tam insigne beneficium debet, conveniatur, nulla ratio est, cur ab eius usu ob solam exteri creditoris qualitatem excludi debeat.

## X.

Sequitur, ut de tempore videamus, quousque vis moratoriae exceptionis valeat. Vbi mirum est, quanta sit Doctorum dissensio, et quam miras circa hoc argumentum sententias foveant. Alii dilationes has ad spatium annale restringunt, *vid. Cuchus Tr. d. morator. praescript. n. 25.* Rursus alii intra quinquennii metas rescripta moratoria ita concludunt, ut eadem si vel maxime ad longius tempus concessa sint, post quinquennium omni robore destitui contendunt, *Hering. d. fideiuss. cap. 5. n. 135.* ibique *cit. DD.* Imo sunt, qui tali rescripto concessio

cesso omnem vim obligandi, etiam ad quinquenni-  
um detractum eunt, in quorum numero est *Rebuff.*  
*Tr. de liter. morat. art. 1. gl. 1. n. 6. add. Faber. in*  
*Cod. Tit. 9. def. 17. n. 30. seqq.* Ipse *B. Dn. Strykius*  
celebratissimae memoriae *lctus in dissert. d. abus.*  
*rescript. morat. cap. 2. n. 15.* in ea, quod miror, sen-  
tentia est, quod praecise ad quinquennium moratoria  
sint restricta, nec de iure ultra a principe extendi  
possint, cum id, quod tempore definitum, porrigi ul-  
terius non debeat, per *L. 8. pr. ff. d. postul.* Ad quam  
opinionem confirmandam provocat ad *L. ult. C. qui*  
*bon. ced. poss. ut et Reform. Polit. d. anno 1548. et 1577.*  
*Tit. Von verdorbenen Kauff-Leuthen/ verb. Daß*  
*ihnen solche moratoria oder Quinquennel x. x. Vbi*  
imprimis urget vim vocabuli *Quinquennel.*

## XI.

At enim vero quis arbitrio Principis iure suo  
utentis modum hic statuatur, aut terminum summae  
potestati in condendis privilegiis figat? Cum  
enim, ut supra evicimus, ius indulgendi moratorias  
litteras numero illorum iurium sit, quae a sola  
Maiestate vel Superioritate Territoriali dependent,  
manifeste liquet, a liberrima Principis voluntate  
pendere, ad quod tempus debitorem adversus rigo-  
dos creditores tueri velit; Equidem verum est, regu-  
lariter huius generis litteras quinque annorum spa-

tium complecti, de qua consuetudine exaudienda *L. ult. C. qui. bon. ced. poss.* Sed hoc ipso nulla necessitas principem urget, quo minus a communi stylo recedere, et beneficio suo amplio rem terminum constituere valeat. Nec vero quicquam pro contraria opinione ex *cit. Reform. Polit.* textu quisquam facile exculperit, cum ibi non dicatur, moratoria rescripta ad longius, quam quinque annorum, spatium dari non posse, sed vox *Quinquennel/* ex eo tantum, quod plerumque fit, suam appellationem trahat. Praeterea notissimi iuris est, eas leges, quae ad iuris civilis regulas Principem adstringunt, de eo, quod sponte facit, non quod facere tenetur, intelligendas esse, *vid. L. 4. C. de Legib.* Quod ni ita esset, huius generis leges manifesta absurditate laboraturae essent, cum manifestae rationis sit, quod nemo sibi legem ponere, aut arbitrium suum ita circumscribere valeat, quin siugulis momentis sententiam mutare, et in agendi libertatem sese asserere queat; *vid. L. 22. d. legat. et fideic. 2.* Quamvis laudatus *ICtus B. Strykii* id ipsum *cit. loc. circ. fin.* agnoscere videatur, cum negat, principis potestatem ita restrictam esse, ut pro re nata induciarum tempus prolongare nequeat.

## XII.

Ex iisdem civilis Philosophiae principiis facile intelligitur, quid de illa quorundam opinione sentiendum

tiendum sit, cum literas moratorias semel tantum impetrari posse, contendunt, ducto argumento *ex L. ult. ff. d. feriis*. Quod adeo verum esse volunt, ut quamvis primo rescripto quis usus non fuerit, tamen novum princeps ipsi concedere nequeat. *vid. Meier. Colleg. argenter. tit. d. except. et praescript. p. 164. Anton. Faber in C. L. 1. tit. 9. def. 20.* Nam et hic Princeps potestatem suam in angustum redigi nequaquam patietur, quo minus, si ita visum ipsi fuerit, secundo vel pluribus etiam rescriptis moratoriis debitoribus subvenire queat. Quamvis res consilii et aequitatis esse videatur, ne Princeps debitoribus morosis nimis indulgeat, iisdemque occasionem solutionem in infinitum protrahendi, et iustissimum creditoris desiderium eludendi praebet, praesertim cum is, qui privilegio vel rescripto usus haud est, eidem, circumstantiis ita ferentibus, renunciasse videri possit. *L. si ea. 7. C. qui accus. non poss. Cap. cum olim. 19. X. d. Cens. Menoch. de arbitr. Iudic. qu. Lib. 2. cas. 203. n. 28.*

## XIII.

Praeterea nequaquam potestate sua abuti videbitur Princeps, si debitorem qui debitum inficiatus est, rescripto moratorio iuvet, idque hoc magis, quod in inficiationem nulla certa poena in iure constituta sit. Equidem is, qui negat se possidere, hanc mendacii sui poenam luit, ut commodo possessionis

excidat, eademque in adversarium tantisper, solo petitorio salvo, transferatur, iuxta *L. ult. ff. d. R. V.* et qui se fideiussisse inficiatur, beneficiis fideiussoriis uti nequit; *L. 10. §. 1. ff. d. Fideiuss.* et ex usu fori saltem, qui fundamentum actionis, super quo iuramentum delatum est, negat, exceptiones amittit. Sed nullibi lege constitutum est, rescriptum moratorium dene-gandum esse illis, qui debitum ab initio haudquaquam facti sunt; quamvis id facile largiamur, hoc difficiliorem esse debere Principem in beneficiis concedendis, quo magis indignum illis debitor se mendacium committendo reddidit, iuxta vulgatum illud, quod Legis auxilium frustra imploret, qui in legem temere commisit. *L. 37. ff. d. minor. Cardin. Tusch. pract. conclus. tom. 4. lit. 1. Conclus. 57. n. 1. et seqq.*

## XIV.

Par ratio eorum debitorum est, qui convicti ac per sententiam, quae vim rei iudicatae nacta est, condemnati sunt. Quamvis enim his regulariter Princeps haud subveniat, *L. ult. C. ut lit. pend.* ne elusorium reddatur iudicium, ac vis rei iudicatae pereat, *L. ult. C. Sentent. rescind. non poss. L. 65. §. 2. ff. ad SCt. Trebell.* multae tamen saepe et iustae causae Principem permovere queunt, ne ipsis auxilium suum deneget. Nec sequitur, condemnatus est debitor, ergo temere litigavit, omnique beneficio indig-nus



gnus est ; fieri enim potest, ut illiquidum sit debi-  
tum, utputa a defuncto contractum, cuius cer-  
tam scientiam heres non habet, ut illud ultro et citra  
ambages processus fateri nequeat. Quocirca hic  
quoque suo arbitrio ac libertate utetur Princeps, ac,  
perpensis facti circumstantiis, aestimabit, an suo be-  
neficio dignus videatur debitor, nec ne.

## XV.

Cum vero, concessis induciis, facile fieri possit, ut  
debitor interim aufugiat, et creditorem eludat, vel  
bona, quae acquirit, dissipando, spem eius interver-  
tat, a debitore cautionem idoneam praestari par est,  
de debito in futurum solvendo; ita enim expresse  
constitutum est *in L. 4. C. de Prec. Imp. offer. Gail.*  
*L. 2. Obs. 46. n. 4. Hering. d. fideiuss. C. 5. n. 128. seqq.*  
Nec vero distingvendum puto, ad annum, an quin-  
quennium dilatio concessa sit; quod faciunt *Faber.*  
*in Cod. tit. 9. def. 21. n. 1. seqq. et de Error. Pragm. de-*  
*cad. 25. error. 3. n. 2. Böer. decis. 296. n. 1.* aliique  
complures; nullibi enim huius distinctionis in iure  
occurit vestigium, et utroque casu par ratio militat,  
ne creditoribus fraude debitoris actio pereat, vel cer-  
te inanis relinquatur.

## XVI.

Neque vero Princeps, quod aliqui volunt, pec-  
care intelligitur, dum, nulla cautione exacta, debito-  
ri inducias concedit; sicuti enim nec iudex aliter  
subve-

subvenire solet, quam si a partibus rite impleretur, *L. 4. §. 8. d. damno infecto. L. 69. §. 3. ff. d. legat. et fideic. 2 L. 2. §. 1. ff. quod. legator.* inde nulla ratio Principem subigit, ut ipse, creditore non petente, cavendi necessitatem debitori imponat. Satis est, quod creditores, qui rerum suarum satagunt, sibi que plene prospectum cupiunt, cautionem iure exigant, neque haec ipsis denegetur. *Trentac. var. resol. Lib. 3. resol. 1. n. 8.* Neque vero petitam a creditore cautionem remittere Princeps solet vel debet debitori; ira enim is semper egentibus et fortunae iniuria afflictis subvenit, ne aliis ius legitime quaesitum auferat, *L. 7. C. d. Prec. Imp. offer. L. 8. ff. d. praet. stipul.* Ut frustra sint, qui hic cum *Iasone ad d. l. n. 15.* dissentiunt. *VVurmsfer. pract. obs. L. 1. t. 28. d. 9.*

## XVII.

Sed qualem cautionem a debitore praestari oporteat, dubium est. Idonea requiritur in *L. 4. C. d. Prec. Imp. offer.* talis vero intelligitur ea sola, quae per fideiussores vel pignora praestatur, *L. 59. §. ult. ff. mandat. L. 21. ff. §. ult. d. const. pec.* Vnde aliqui DD. non aliter debitorem ad hoc beneficium admitti debere volunt, quam si dicto modo per fideiussores et pignora caverit. Vid. *Zanger. Tr. de Except. P. 2. c. 12. n. 3. in fin.* Qui et praecipuum opinionis suae fundamen-

fundamentum *in cit. L. 4. C.* collocant. Atenimvero sicuti dicta lex de debitoribus, qui per fideiussores cavere queunt, intelligenda est, ita manifeste liquet, rarissime huic privilegio locum futurum esse, si non aliter, quam datis fideiussoribus indulgeretur; cum enim plerumque causa illius movens sit paupertas, non facile idoneos fideiussores reperiturus est debitor. Quotusenimquisque est, qui pro homine obaerato, ac a fortuna deiecto, in quo forte omnis spes melioris sortis decollavit, fidem suam interponere velit? Quocirca ita habendum puto. Urgendus nempe est debitor, ut per fideiussores idoneos caveat, quos si dare haud possit, pignora exigenda, et si ne illa quidem suppetant, admittendum est debitoris iuramentum; cum iuratoria cautio regulariter semper in subsidium, deficiente alio satisfactionis genere, admittatur. *L. cum non facile. 6. ff. si cui plus quam etc. Richt. P. 2. dec. 67. n. 13. et P. 2. dec. 77. n. 35. VVesenb. in Paratit. ff. d. his qui satisd. cog. n. 10.* Cuius iuramenti formula id ipsum simul comprehendit, quod debitor, data licet opera, tamen fideiussores idoneos reperire non potuerit, nec tantum in bonis habeat, ut pignoratitiae cautioni praestandae par sit, *Nov. 134. c. 9. Auth. generaliter. C. d. Episc. et Cleric. Gail. L. 2. obs. 47. n. 8.* Sicuti etiam res ipsa monet, ad qualitatem simul et conditionem debitoris respiciendum, et illud inprimis attendendum esse, an in-

C

tegrae

tegrae existimationis et famae sit, ne periuriis non minus, quam fraudibus, nequissimorum hominum an-  
 fa praebeatur. *Habn. ad VVesenb. tit. qui satisd. cog. n. 10. in fin. Berlich. P. I. Concl. 20. n. 53.* Vnde nequaquam indistincte verum esse puto, quod *Anton. Faber. L. I. C. tit. 9. def. 21. n. 4.* tradit, aut quod *Rebuff. Tr. d. liter. morat. art. 1. gl. 1. n. 50. vers. hodie.* vult, hodie in forensi iudicio nunquam alia, quam iuratoria, cautione opus esse. Cuius ratio, quam *loc. cit.* adiicit; *quod aliqui de nihilo serviret debitoribus literarum impetratio, cum nullus vellet pro iis cavere.* non ad omnes, sed eos tantum casus quadrat, ubi rescripta moratoria ex causa paupertatis indulgentur; cum tamen evenire possit, ut etiam is, quem nondum penitus fortuna destituit, cuiusque facultates aere alieno exhaustae non sunt, literas dilatorias petat; puta quod non facile emtores rerum suarum invenire, ac de pretio creditoribus satisfacere, vel etiam non sine gravi iactura atque incommodo vendere possit. *Bald. Tr. d. dot. part. 8. privileg. 12. circ. fin.*

## XVIII.

Celebris quaestio est: *An debitor, qui rescriptum moratorium impetravit, medio tempore ad usuras teneatur?* Eorum, qui negant, in quorum numero sunt *Moller. Lib. 4. semestr. cap. 7. VVehner. obs. pract. verb. Anstands = Brieff.* ibi: *non vero ad usuras*  
 Petr.

*Petr. Peck. d. iur. sistend. cap. 45. n. 20. vers. quin etiam ut plenissimum. Boër. Decis. 296. n. 5. circa fin. Carpz. Asyl. debitor. §. 61. n. 39. 40. et 41. Hering. d. fideiuss. c. 22. n. 39. et seq. rationes huc redeunt. Primo ad naturalem aequitatem provocant, quod inhumanum sit, et aequitati adversum, usurarum exactio-  
ne premere eos velle, qui iamdum afflicti, atque in statum commiseratione dignum deiecti sint. Deinceps contendunt, periturum propemodum esse omnem beneficium principalis fructum, nisi cursus usurarum intermedio tempore sistatur, praesertim cum usurae odiosae habeantur in iure, adeoque in dubio contra eas pronunciari debeat. Urgent simul naturam et indolem beneficiorum, quae a Principe profiscuntur, ac regulariter, quam fieri potest, latissime interpretanda veniunt. *L. 3. ff. d. Const. Princip. Denique praesidio L. 8. §. 2. ff. d. libertat. legat. L. 4. C. d. usuris pupillar. L. ult. C. de usur. rei indic. et L. 178. d. R. I. sese fulciunt. Sed tanti memoratae rationes meo iudicio haud sunt, ut evincant, iure civili debitorem rescripto moratorio innixum a necessitate praestandi usuras immunem esse. Nam quod de naturali aequitate assertur, id consilium complecti, nullam vero obligationem remittendi usuras, creditori imponere videtur; qui si suo iuri insistat, solo aequitatis huius obtentu, ut ab illo discedat, compelli nequit; ac fieri potest, ut et ipse creditor non**

adeo bonis abundet, ut facilius donare, quam debitor solvere, possit. Nec vero rescriptum moratorium beneficii locum propterea obtinere desinit, quod usurae currant, cum debitor satis habere debeat, quod nonnisi post aliquod temporis intervalum a creditore ad solutionem fortis et usurarum adigi possit. Interpretationem autem beneficiorum Principis quod attinet, in vulgus notum est, eam tum demum late fieri debere, si solius Principis praeiudicium subsit, quodsi vero privilegium in tertii, ut hoc loco creditoris, praeiudicium vergat, eandem strictissime, ut quam minime ius alterius laedatur, fieri oportet; *L. 2. §. 10. et 16. ne quid in loc. publ. L. 43. ff. d. vulg. et pupill. subst.* Sed et illud inane est, quod dicitur, in dubio potius pro liberatione, quam obligatione, respondendum esse. *L. 47. ff. d. O. et A.* Neque enim rem dubiam esse putamus, ubi creditor ius ex negotio vel contractu habet, quod ipsi Princeps auferre nec vult, nec potest.

## XIX.

Nec vero ad rem faciunt textus, quos pro contraria opinione DD. excitant. Primo enim *L. 8. §. 2. ff. de liberat. legat.* ubi dicitur, quod eius temporis, intra quod petere heres vetitus est, usuras petere non possit, et adversus testamentum committat, si petierit, de casu loquitur, ubi testator ultima voluntate disposuit, ne a debitore intra certum tem-

tempus debitum exigi possit; a qua dispositione testatoris ad Principis rescriptum nequaquam validum argumentum ducitur. Heres enim defunctum repraesentat, eiusque voluntatem agnoscere tenetur, neque in eius praeiudicium fieri intelligitur, quicquid testator disposuit. Vnde solenne est, quod ultimae voluntates plenissime interpretandae veniant, *L. 12. d. R. I. L. 7. C. de fideic.* quod aliter longe in Principis rescripto se habere, manifestum est.

## XX.

Nec validius consilium est, quod petitur ex *L. 4. C. d. usur. pupill.* Vbi cautum, quod ad effectum sistendi cursum usurarum possit tutor pupillum provocare ad iudicium testati, i. e. coram testibus, ac si tunc cesset, possit coram actis vel rationes deponere, vel pecuniam debitam consignare, vel testes ad perpetuam memoriam producere, vel ex *L. diffamari.* agere. Neque enim ibi tutor moras in solutione facienda necit, sed ad rationes administrationis suae reddendas paratus id tantum agit, ut, quia pupillum ad intentandam adversus se actionem tutelae compellere nequit, se alia idonea via a nexu obligationis liberet.

## XXI.

Inane etiam argumentum est, quod desumitur ex *L. ult. C. rei iudic.* ubi dicitur, quod usurae

centesimae, quae post rem iudicatam currere incipiunt, de sorte tantum per sententiam definita, non etiam de usuris solvi debeant. Cuius legis ratio praecipua est, quod usurae usurarum accipi non possint, *L. 28. C. d. usur.* Quamvis enim novata videatur per sententiam prior actio, et ita differentia inter sortem et usuras abolita; quamvis et ipse iudex sortem et usuras confundat, et in unam sortem redigat, non tamen id eo pertinet, ut ipsa natura usurarum cum sorte confundatur. Sed qua specie, aut qua probabili ratione, hoc ad casum impenetrati rescripti moratorii accommodatur? Cum hic creditor nequaquam Anatocismum committere, et usuras usurarum petere intendat, sed tantum simplices usuras de ipsa sorte exigat. Denique nihil contra nos facit *L. 178. d. R. I.* ubi dicitur, quod, quando causa principalis non subsistit, plerumque nec ea, quae sequuntur, locum habeant. Nam in nostro casu subsistit causa principalis, quae est ipsa fors debita; quippe quam dilatio concessa haud immutat. Quocirca consentaneum est, etiam accessorium subsistere, hoc est, cursum usurarum non inhiberi. Vnde recte *Molinaeus d. usur. qu. 82. n. 624.* huiusmodi rescriptum non indulgeri, ait, debitori, ut cum aliena iactura quicquam lucretur, sed tantum, ne damno afficiatur. Sicuti vero hanc, pro qua haecenus propugnavi, opinionem, secundum pri-



principia iuris civilis veriozem esse puto, ita in Saxonia peculiari lege, nempe *Dec. Nov. 30.* constitutum est, quod tempore indulti currere usurae regulariter debeant.

## XXII.

Non minori contentione inter Iuris Interpretes illa quaestio agitur; *An induciae a debitore impetratae etiam fideiussoribus profint.* Negant praeter caeteros complures *Rudinger. Cent. I. singul. observ. 27. n. 5. Coler. ad Proc. Execut. p. 1. c. 4. n. 19. 20. Rauchbar. P. 2. qu. 7. n. 36. Sigism. Scaccia Lib. 2. cap. 7. num. 383. 384. Tract. de iudic. caus. civil. Finkelthuf. d. praescript. morat. thes. 17.* Pro qua opinione validae rationes pugnare videntur. Primo enim huiusmodi induciae privilegium personale complecti videntur, intuitu personae debitoris concessum; cuius generis privilegia personas non egredi constat. *L. 68. ff. de R. I.* Ac figillatim fideiussoribus denegantur. *L. 7. ff. de except. L. 14. ff. de re iudic.* Deinde qui fidem suam pro alio interponit, id agere videtur, ut se simpliciter ad solvendum obliget, in eum eventum, si debitor principalis bonis labatur, ac non solvendo existat. Quo et facit regula interpretationis supra tradita, quod beneficia a Principe indulta, quatenus cum praecudicio tertii coniuncta sunt, quam fieri potest, strictissime intelligi debeant.

## XXIII.

## XXIII.

Atenimvero libet in praesenti, his non obstantibus, eam amplecti sententiam, et quam fieri potest, maxime probabilem reddere, quae fideiussorum causam tuetur, et vim rescripti moratorii ad hos quoque extendit. Et initio quidem urgeo generalem regulam, quod exceptiones, quibus debitor uti possit, etiam fideiussoribus profint. *L. 19. ff. d. except. L. II. C. eod.* Cum fideiussio tanquam accessorium regulariter omnibus iis privilegiis et beneficiis iuris munita intelligatur, quibus debitum principale gaudet. Fortissimum autem fundamentum pro fideiussoribus ducitur a pacto de non petendo in perpetuum, quod etiam fideiussori prodest. *L. 7. §. 8. vers. utrum. L. 21. §. ult. L. 32. ff. d. pact.* Vnde colligitur, etiam pactum de non petendo intra certum tempus debitori prodesse, cum a minori ad maius hic merito argumentemur; atqui inducias debitori concessas eandem vim habere, quae inest pacto de non petendo, manifestum est. *Add. L. 21. ff. d. R. I. L. 7. et 8. vers. utrum autem ff. d. pact. L. Et heredi. §. ult. L. quod dictum. 32. ff. eod.* Eodem argumento colligo, privilegium moratorium in dubio et regulariter magis in rem, quam in personam, conceptum intelligi. Nam et hoc circa pactum de non petendo ad certum tempus evenit; id quod non obscure probari potest, collatis inter se duobus textibus,

bus, nempe §. 10. *et* II. *I. d. except.* Cum enim Imperator *in* §. 10. egisset de exceptione dilatoria, quae ex pacto de non petendo ad certum tempus fluit, deinceps *in* §. *seq.* II. ait, se converti ad eas exceptiones, quae ex persona dilatoriae sint; unde consequitur, exceptionem memoratam *in anteced.* §. propositam non personalem ex mente Imperatoris, sed realem esse; praesertim cum non ex persona, sed ex ipsa causa, nempe debiti solutione, fluat. Vid. *Vultei. in Comment. I. d. except. n. 18.*

## XXIV.

Accedit, quod stante hypothese adversa, nempe inducias debitori datas fideiussori haud prodesse, tota vis earum peritura esset. Fideiussor enim, si creditori satisfacere compellatur, regressum suum actione mandati adversus debitorem capiet, eundemque ad restituendum id, quod pro ipso solvit, eadem facilitate adiget; cui rescriptum moratorium, utpote contra personam creditoris conceptum, frustra opponetur. §. 6. *I. d. fideiuss.* L. 26. §. 3. *ff. mandat.* Quo pertinet, quod Imperator in simili casu de quadrimestri spatio, quod et fideiussoribus illud competere debeat, constituerit. *Cum enim,* ait Iustinianus, *Interventor solvere compellatur, et ipse reum cõerceat ad invitam solutionem, nullum condemnatus haberet sensum nostrae humanitatis: quia per*  

D medium

*medium fideiussorem statim pecunias persolvere compelleretur. L. ult. C. d. usur. rei. iudic.*

## XXV.

Neque vero nobis obsunt ea, quae pro contraria sententia superius adducta sunt. Quod enim dicitur, inducias moratorias personale privilegium complecti, illud, cum in petitionem principii, ut vocant, resolvatur, nullam probandi vim habere potest, et contrarium per adductas rationes evictum esse putato. Neque etiam fideiussor, quum se in subsidium, debitore non solvendo existente, obligat, renunciare iuri suo et beneficiis intelligitur, quae ipsi quovis modo competere queunt; et stricte licet interpretationis sint beneficia a Principe profecta, non tamen ita coarctari, et in angustum redigi debent, ut vis eorum penitus evanescat, ac facillimo labore eludi possit, praesertim cum fideiussori, a creditore convento, in promptu sit exceptio ordinis seu excussionis, qua actionem tantisper declinare queat; fieri autem excussio debitoris a creditore nequit prius, quam tempus, rescripto moratorio definitum, praeterlapsum sit. *Auth. praesente. C. d. fideiuss. Coler. d. Proc. Exec. p. 1. c. 4. n. 23.* Quamvis optima cautela videatur, ut debitor curet, fideiussorum quoque in literis moratoriis expresse mentionem fieri; qua ratione praecavebit, ne vel a creditore vel a fideiussoribus intra tempus, quo induciae durant, negotium ipsi

ipfi fieri queat. Add. *Hering. d. fideiuff. c. 27. n. 77.*  
*Anton. Faber. in Cod. lib. 1. tit. 9. def. 14. n. 2. Menoch.*  
*arbitr. iudic. quaest. Lib. 2. Cent. 3. cas. 203. n. 26.* Qui  
 postremus sufficere putat, si saltem moratorium etiam  
 pro fideiuffore sit petatum. Sicuti etiam aliqui eo ca-  
 su vim rescripti ad fideiuffores pertinere largiuntur,  
 si dilatio a Principe non ad petitionem debitoris,  
 sed motu proprio indulta sit. *Cuchus d. morat. prae-*  
*script. n. 137. Hering. d. c. 27. n. 79.*

## XXVI.

Neque vero beneficio moratoriae praescriptio-  
 nis gaudere debent malitiosi decoctores, qui non  
 casu fortuito et fortunae iniuria, sed culpa sua et vi-  
 tio in calamitatem inciderunt. Vid. *L. 37. ff. de neg.*  
*gest. Nov. 4. c. 3. add. L. 203. ff. de R. I.* Vnde in *Re-*  
*form. Polit. d. anno 1548.* duo requiruntur, ut lite-  
 rae moratoriae iure peti possint, ut nempe faculta-  
 tum suarum iacturam debitor per testimonium ma-  
 gistratus non solum doceat, sed simul probet, casu  
 fortuitis se ad incitas redactum. Add. *Ord. Po-*  
*lit. de anno 1577. tit. 23. §.* Wenn auch solche ic.  
 Neque enim decipientibus, sed deceptis succurren-  
 dum est. *L. 2. ff. ad Scutum Vellei.* Cuius generis  
 homines merito furibus aequiparantur, quia alios  
 defraudant, bonisque et facultatibus dolose exuunt,

quo nomine haec impostura expresse appellatur *in cit. Rec. Imp. Tit. Bon verdorbenen Kauff-Leuthen/pr.* Vnde nullo non tempore olim in huius furfuris homines severe animadversum est. De dissectione eorum in partes vid. *Gloss. in L. i. C. qui. bon. ced. poss. Heig. p. i. qu. 35. n. 26. Agell. noct. Atticar. lib. 20. c. i. Covarr. Lib. 2. variar. resol. c. i. n. 1.* Apud Saxones incarcerationio locum habet. Vid. *P. 2. Const. Elect. 22. et Ord. Proc. Sax. tit. ult.* Imo eadem poena iure ciuili quoque locum sibi vindicare videtur. Quod enim beneficio cessionis bonorum debitores carcerem evitare possint, id non ad omnes, sed eos tantum pertinet, qui per infortunium facultatibus lapsi sunt. Vid. *Zoef. ad ff. tit. d. cess. bon. n. ii.* Quamobrem quoad malitiosos decoctores ratione incarcerationis inter ius ciuile et Saxonicum nulla differentia intercedit. Addatur de hac materia *VVe-senb. tit. d. cess. bon. n. i. Mevius theatr. Concurf. credit. c. i. th. 37. n. 23. Engelbrecht. in praelect. ad §. ult. l. d. Act. in fin.*

## XXVII.

Ceterum praescriptio moratoria in quouis processu genere locum tuetur, siue ordinarius sit, siue summarius, siue rursus summarius in specie sic dictus, siue executivus, Equidem sunt, qui dubitant, an contra instrumentum gvarentigiatum induciae op-  
poni

poni queant, propterea, quod illud vim rei iudicatae habeat, cui citra moram, aliaque subterfugia per actualem solutionem satisfaciendum fit; ex quo eodem fundamento et illud fluit, quod iure civili in causis executivis reconventionis iudicium haud admittatur, quod nempe post sententiam, cuius vim instrumentum gvarentigionatum habet, reconventioni non amplius locus sit. *Marian. Socin. ad. c. ex literis. X. d. mut. petit. n. 60. Rittershus. ad Novell. part. 9. c. 17. n. 7. B. Ziegler. ad O. P. S. Tit. 6. verb. Hülffe suchen.* Atenimvero haec tanti non sunt, ut evincant, exceptionis moratoriae usum a processu executivo exulare debere. Quippe notissimi iuris est, in hoc processus genere iuri Romano incognito, ac moribus Germanorum introducto, non tantum exceptioni solutionis et compensationis, quod DD. aliqui olim voluerunt, *Carpzov. Tr. d. Contract. mut. pos. 4. n. 5.* sed omnibus omnino exceptionibus locum esse, si modo incontinenti per instrumenta itidem gvarentigionata, vel confessionem adversarii, aut aliunde ex actis probari possint. Quae ergo ratio, cur in hoc processus genere exceptio moratoria excludenda veniat? Praesertim cum alias facile omnis moratoriorum rescriptorum usus intercideret, cum pleraque debita per chirographum a Debitore datum, atque adeo instrumentum gvarentigionatum proba-

ri possint. Accedit, quod beneficium cessionis bonorum etiã in executivo iudicio admittatur, a quo ad exceptionem moratoriam validum argumentum ducitur; cum illud sit beneficium a lege concessum, hoc vero a Principe indultum, cui eadem vis cum illo iure meritoque tribuitur. Add. *Stryk. Dissert. d. abus. rescript. morat. §. 15. Coler. d. Proc. Execut. part. 1. cap. 9. n. 33.*

## XXVIII.

Quid vero, si debitum iuramento munitum sit, an et tunc praescriptione hac debitor sese tueri potest? Mirum est, quanta et hic Doctorum dissensio occurrat. Alii simpliciter negant, *Sezer. d. iurament. c. 26. n. 43. Lib. I. Matth. d. Afflict. decis. 5. ubi n. 2. ait, quod ita omnes Iuristae dicant. Boërius decis. 296. n. 5. Io. Gutierrez. tract. de Iuram. confirm. part. 1. c. 65. Finckelthaus. d. Praescript. morat. thes. 24.* Alii affirmant. Vid. *Knichen. in Comment. d. Saxon. non prov. iur. cap. 5. n. 461. B. Dn. Stryk. cit. loc. §. 16.* distingvendum esse putat: An Princeps inducias generaliter et quidem motu proprio concesserit debitoribus sibi subiectis; an vero ipse debitor sub iuramento obstrictus proprio motu principem adierit, et Rescriptum impetraverit? Illo casu facilius excusari debitorem, si beneficio omnibus



omnibus concessio, de quo tempore iuramenti non cogitatum, utatur. Hoc casu vix securum esse in conscientia, si invito creditore ad inducias convolverit. Quamvis enim iuramentum ad impossibilia neminem obliget, praestandum tamen iuranti tantum esse, quantum facere potest, nec moras studio quaerendas. Atenimvero putaverim, Rescripto moratorio indistincte locum esse, sive generaliter illud omnibus subditis indultum sit, sive speciatim uni tantum, qui solutionem debiti iurato promisit. Omne enim iusiurandum intelligi debet sub clausula: *Rebus sic stantibus*, nisi scilicet praeter opinionem casu fortuito, et citra debitoris culpam media solutionis perierint, eoque Princeps ad inducias concedendas permotus fuerit. Cuiusmodi casus si evenerit, illaesa conscientia debitor beneficio a Principe concessio uti potest; cum utique hoc modo ius creditori non intervertatur, sed is obligatum retineat debitorem. Vnde inanem puto et illam quaestionem esse: An relaxatio iuramenti a potestate seculari fieri possit? Primo enim cum debitor rescripto moratorio utens per ea, quae dicta sunt, per iurium haud committat, iuramenti relaxatio supervacanea videri potest. Deinde nullam nos agnoscimus ecclesiasticam potestatem, nisi quae radicaliter et eminenter in ipso Principe existat, a cuius arbitrio dependet, cuinam exercitium illius potestatis deman-

demandare velit. Imo et in summo Imperii Tribunali, quod hodie VVetzlariae est, ipsis Affessoribus Camerae potestas absolvendi a iuramento concessa est, ad effectum agendi, Imperatoris et Statuum autoritate. Vid. *Ord. Cam. part. 2. tit. 24. Von Relaxation der Eyde. Const. Elect. 36. P. 2. Dauth. d. testam. tit. de testam. mut. n. 93. Sezer. Tr. iuram. lib. 1. c. 24. n. 8. seqq.*

## XXIX.

Illud difficultate carere existimem, quod vis mortuariae exceptionis haudquaquam valeat adversus debitum ex delicto contractum; Dolus enim ac malitia semper beneficium iuris excludere censetur, ac praesumptionem inducit, noluisse Principem, huiusmodi rescripto suo debitum complecti, *L. 1. ff. d. dol. mal. L. 12. ff. quae in fraud. cred. L. 20. §. 1. ff. d. lib. legat. L. 37. §. 1. ff. d. minor. L. 1. C. ubi Senat. vel clariss. add. Nov. 17. c. 5.* Quamvis dubitandum non sit, posse Principem, si velit, ad hoc quoque debiti genus rescriptum extendere, cum multae variaeque circumstantiae svadere possint, ut delinquenti etiam, praesertim ex post facto seria poenitentia ducto, ad tempus concessa dilatione subveniatur; quod etiam tunc factum a Principe aliqui volunt, si ratio in Rescripto adiecta generalis sit, atque ad debitum ex delicto

delicto non minus, quam ad alia ex contractu descendencia quadret. *Io. Bapt. Asinius Tr. d. Execut. §. 6. cap. 69. circa finem vers. limitatur.*

## XXX.

Parem in modum non est, cur quis dubitet, posse moratorio rescripto Principem cavere, ut contra fiscum quoque vim suam illud exferere debeat. Quodsi tamen super hoc voluntatem suam Princeps expresse non declaraverit, debitum fiscale in dubio exceptum esse intelligetur, utpote quod speciali favore, plurimisque privilegiis in iure munitum est. Vid. *tit. C. d. privileg. fisc. it. t. t. ff. et C. d. Iur. Fisci.* Pro fisco enim semper publica utilitatis ratio militat, quae potior quovis commodo privato esse debet. *L. 3. C. de primipil. Nov. 17. cap. 7. Speidel. Specul. var. iurid. histor. polit. obs. et not. sub voc. Quinquennel.* Unde etiam prohibitum in iure est, rescripta fisco damnosa postulari, eademque actu impetrata sub - et obreptitiae elicitae praesumuntur. Vid. *L. 3. C. de prec. Imp. offer. Peregrin. d. iur. fisc. Lib. I. tit. 35.* Eodem privilegio Ecclesiam quoque et alia pia loca gaudere communiter Doctores volunt. Nam et pro piis causis maximus semper favor militat, ut hinc Princeps illis magis quam debitoribus, favere voluisse censeatur. *L. 43. in fin. ff. d. relig. et sumt. fun. Tiraq. d. privil. piae caus. privileg. 148. Menoch. arbitr. iud. quaest. L. 2. cent. 3. cas. 203.*

n. 20. Quamvis si dicendum sit, quod res est, saepius DD. nimis liberales sint in extendendis ecclesiarum privilegiis; cum tamen citra dispositionem legis nullum ius singulare in dubio statui debeat, adeo, ut ne quidem propter identitatem rationis ad consequentias trahendum sit, *L. 14. ff. d. Leg.* Cumque pia loca nihil magis deceat, quam commiseratione eorum, qui a fortuna afflicti sunt, duci, etiam rescripto ex causa paupertatis impetrato, locum facere debere videntur. Vid. *Limn. d. iur. publ. lib. 4. cap. 8. n. 33.*

## XXXI.

Sed longius provehuntur Doctores, atque vim literarum moratoriarum ne quidem contra pupillos, viduas, aliasque miserabiles personas valere contendunt, *Boër. decis. 296. n. 6. in pr. Anton. Faber. in Cod. lib. 1. tit. 9. def. 20. n. 10. Myler. ad Ehrenbach. d. Princip. et Stat. Imp. P. 2. c. 55. §. 10. n. 2. Fritsch. manual. iuris publ. tit. d. morat. indult.* Pro qua opinione firmanda afferunt, quod ob imbecillitatem aetatis, lubricum consilium, et miserum Statum multa hisce personis privilegia in iure competant, earumque iudicium fragile sit, multis captionibus suppositum, multisque insidiis expositum, *L. 1. ff. d. minor.* Accedit, quod pupilli furiosis, qui intellectu ac voluntate destituuntur, aequiparari soleant. *L. 9. ff. d. acqu. vel omitt. hered. add. Nov. 72. c. 8. in fin.* Vbi impe-

Imperator se patrem eorum dicit, qui sibi auxiliari non possint; sicuti etiam minores plerumque iisdem iuribus vel privilegiis, quae Ecclesiis tribuuntur, gaudere debent, *cap. 1. d. in integr. restit.* Quo et facere videtur generalis regula: Quod privilegiatus contra aeque privilegiatum suo privilegio uti non possit; praesertim cum dictae personae miserabiles de damno vitando laborent, adeoque eo maiorem favorem mereantur. Quod privilegium tanta liberalitate quidam DD. iactant, ut ei locum faciant illo etiam casu, quo pupilli et viduae divitiis abundant. Add. *B. Stryk. d. Abus. rescript. morat. c. 3. §. 6.* At enimvero tanti hae rationes, quas attulimus, non sunt, ut nobis persuadere valeant, circa memoratas miserabiles personas ius singulare admittendum esse silente lege. Atqui nulla lex ostendi potest, quae respectu earum moratoriae exceptioni vim suam adimat. Quamvis enim humanitas forte exigat, ut pupillo et minori propter infirmitatem aetatis subveniatur, *L. 2. ff. in fin. d. re iud.* Valde tamen inhumanum fuerit, aetatis maiorem, quam paupertatis, haberi rationem. Vid. *L. 74. ff. ad SCt. Trebell.* Nec vero ad rem pertinet comparatio minorum cum Ecclesiis; nam et talis comparatio attendenda haud est, quando de extensione iurium singularium agitur, et nondum ostensum, Ecclesias alio hic iure, quam ceteros creditores, uti. Sed et regula, cu-

ius meminimus, quod privilegiatus non gaudeat iure suo, quando ipsi cum aequè privilegiato negotium intercedit, nulla probabilitatis specie ad praesens argumentum accommodatur. Intelligenda enim illa est de privilegiis eiusdem generis, quo utraque pars munita; e. gr. si minor contra minorem restitutionem in integrum postulet. Ceterum si privilegia diversi generis sint, ut in casu praesenti evenit, unum alterum haudquaquam excludit; quamvis, ut verum fatear, vulgata illa regula forte etiam in illis casibus, ubi utriusque privilegia sub eundem censum veniunt, parum utilitatis habeat, nec nisi rarissime applicari possit; Patitur enim et admittit notissimam limitationem, si unus de damno vitando, alter de lucro captando certet; quod saltem in materia restitutionis semper evenire solet; is enim, qui laesus est, adeoque de damno vitando laborat, beneficium restitutionis petit, alter vero, contra quem petitur, commodum ex laesione petentis captat. Quocirca parum abest, quin regulam illam per exceptionem exhauriri, et tantum non in nihilum redigi, dicamus.

## XXXII.

Progredimur ad aliam, de Dote, quaestionem; ubi, sive de illa petenda sive repetenda agatur, praescriptioni moratoriae locum communiter Doctores esse negant, hac imprimis ratione nixi, quod dotis

dotis causa pia sit, et praelatione gaudeat, *L. 32. §. 2. ff. d. conduct. indeb. L. Asfiduis. 12. C. qui potior. in pign.* imo cum publica utilitate coniuncta, *arg. L. 1. ff. solut. matrim.* Cui rationi succenturiatur illa, quod speciatim in materia dilationum dos privilegiata sit, nec ullam retentionem sub quocunque praetextu facile admittat, *arg. L. un. §. 5. C. d. rei. uxor. act.* Adiciunt, quod dotis constitutio ipsi Iuri Naturae congruat, et per eandem masculi magis invitentur ad civitatem prole legitima replendam, nec tantum filiae meliorem nubendi occasionem reperiant, *L. 19. ff. d. ritu nupt.* sed et mulieres factae eo benignius a maritis habeantur. *L. ult. C. ad SCt. Vellei.* Quippe qui beneficii accepti memores, eo facilius onera matrimonii subituri sint. *L. 76. ff. d. iur. dot.* Vnde in iure constitutum, ut pater compelli ad filiam dotandam debeat, adeo, ut si refractarius et contumax sit, ipse iudex pro conditione et facultatibus ipsius, quantitatem dotis determinare valeat. Vid. *L. ult. C. d. dot. promiss. add. B. Stryk. c. 1. §. 7.* Enimvero adductae rationes eo tantum pertinent, ut intelligamus, insignem esse dotis favorem, sed hic favor ulterius, quam leges disponunt, extendi non debet; cum ergo singulare quid circa dotis causam quoad praescriptionem moratoriam constitutum haud reperiatur, eodem iure cum aliis causis censebitur, nec sola DD.

opinio vel ius vel consuetudinem efficere potest. Plane si non ipsa uxor dotem repetat, sed, illa mortua, heredes agant, etiam illi ipsi iuris Interpretes, qui in causa dotis contra rescripta moratoria sentiunt, iisdem locum faciunt; quod pro heredibus non tantus favor militet, quantus in causa dotis subsit. Vid. *B. Stryk. c. 1. in fin.*

## XXXIII.

Ad alimenta convertimur, quorum, si futuri temporis sint, maximus itidem in iure favor est, adeoque cognitio de illis sine figura et strepitu iudicii summariter expeditur. *L. 5. §. 8. d. agnosc. et alend. lib.* Adeo, ut hic casus inter eos referri soleat, qui mandatum sine clausula admittunt, quorum alias ac principaliter tantum quatuor sunt, qui recensentur in *P. 2. Ord. Cam. tit. 23.* Nempe 1.) si factum per se de iure vel consuetudine sit prohibitum, ita, ut nullo iure sustineri possit, 2.) si factum imploranti damnum irreparabile sit pariturum, 3.) si causa in perniciem Reipubl. tendat, 4.) si causa non patiat moram. Add. *Gail. d. pac. publ. Lib. 1. cap. 5. n. 10. Blum. Proc. Cam. art. 34. n. 69. et seqq.* Ad quem postremum casum praesens alimentorum causa haud obscure pertinet. Cum enim venter moram non patiat, omnes dilationes praescindendae sunt, *L. 2. in fin. ff. d. re. iudic. L. 4. ff. d. agnosc. et alend. lib. L. ult. C. d. aliment. pupill. praest.* Vnde



de nec renunciari alimentis, nec de illis ultima voluntate relictis sine autoritate Praetoris transigi potest, *L. 8. ff. de transact. L. 8. C. eod. Gail. L. 2. obs. 147. n. 14. Coler. d. alim. L. 2. c. 8.* Nec compensationi locum esse, vult *Carpz. P. 1. Const. 8. def. 9.* Quæritur ergo, an petitioni alimentorum praescriptio moratoria valide opponi possit? Plerique doctorum omnes id negant, illis, quæ recensuimus, momentis adducti; quo et facit, quod ratio movens, quæ Principem ad inducias debitori concedendas compellere solet, consistat in peculiari aequitate et commiseratione erga oppressum debitorem, cum ex adverso nulla maior aequitas dari posse videatur, quam quæ causam alimentorum defendit, ne illis deficientibus creditor, cui suum denegatur, inedia pereat. *Io. Petr. Surdus Tr. d. aliment. tit. 8. privileg. 70. et decis. 323. Cuchus Tr. d. aliment. n. 90. seqq.* Quæ quidem omnia eius sunt generis, ut Principem movere debeant ad causam alimentorum in Rescripto moratorio excipiendam; sed si generaliter hoc conceptum sit, nec alimentorum mentio facta, non intelligo, cur et hic ius singulare admittendum veniat. Cum enim induciae, quod suppono, debitori ob extremam necessitatem et paupertatem, in qua haeret, concessae sint, et par necessitas utrumque, creditorem et debitorem, urgeat, iniquum haud videtur, id, quod in eius patrimonio adhuc est, quamvis alteri ex contractu idem debeat,

debeat, tantisper ad famem depellendam relinquere, quam eundem, praestitis alimentis, penitus destitui. Accedit, quod in civitatibus recte constitutis non desint media, quibus, durantibus induciis, tantisper alimenta comparari, et fames dispelli possit.

## XXXIV.

Amplius falso putem a DD. tradi et illud, quod conductores praediorum moratoriae praescriptionis fructu ad differendam solutionem pensionis gaudere non debeant. Ad quam opinionem firmandam afferunt, quod huiusmodi pensiones et census plerumque loco alimentorum sint, quibus induciae frustra opponantur. Accedere dicunt, quod locator non prius res conductoris dimittere teneatur, quam ipsi ratione pensionis plene satisfactum sit. *L. 4. ff. d. Pact L. 5. C. Locat.* At enim putem, distingvendum esse, inter pensionem a conductore debitam pro usu praedii iam praeterito, an futuro. Priori casu Rescripto generaliter concepto locum esse existimo. Neque comparatio pensionum cum alimentis perpetua est, aut ad rem facit. Plane si locator praedium repetat, colonus autem illud sub induciarum obtextu retinere cupiat, ipsi nequaquam subveniendum esse reor; cum aequitati valde adversum videatur, conductorem eodem tempore et re et pretio frui. Sed vela hic contraho, noloque plura. DEO Immortali autem pro Gratia Auxilioque Divino praestito grates submitte ago persolveque.

F I N I S.

rü  
a-  
A  
M  
m  
o-  
e-  
a-  
r-  
r-  
E  
r-  
r-  
r-  
o  
,


05 H 792

56

ULB Halle 3  
004 227 646  





12955. I. N. D. 10.  
DISSERTATIO INAUGURALIS,  
DE  
**HIS, QVAE CIRCA  
PRAESCRPTIONEM  
MORATORIAM FALSO  
TRADVNTVR,**  
QVAM  
PRAESIDE  
**IO. HENRICO BERGERO,**  
POTENTISS. POLON. REGIS IN SVMMO APPELL. SENATV  
ELECT. SAX. CONSILIARIO, ORDINISQVE IVRIDICI  
VITEMBERGENSIS PRAESIDE,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDI  
HONORES ET PRIVILEGIA  
**DOCTORALIA**  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
AD DIEM DEC. MDCC XI.  
PVBLICE DISCVTIENDAM PROPONET  
AVCTOR  
**CHRISTIANVS GOTTLOB POHLE,**  
GROED. LVSAT.  

---

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.